



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvta, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

36. Feria 2. De nimio fervore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

tatorum sibi jam, ut in portu collocato, nihil reliquum agendum esse existimat. Quam causam tollam deposita fiducia, & tranquillitate, ex doctrina S. Hieronymi ad Heliodorum: *Erras, frater, erras, si putas unquam Christianum persecutionem non pati.* Tunc maxime oppugnaris, si te oppugnari non sentias. Adversarius noster tanquam leo rugiens aliquem devorare quærens circumit, & tu pacem putas? 1. Pet. 5.

*Conf. 3.* Tertiam causam esse solere fictam quandam, vel non rectam conversionem, quâ quis v.g. seculum reliquit, non tam ut mores mutet, quàm ut alium preposterum finem assequatur. Hæc causa emendatur conversione denuo etiam in eodem statu, quem quis arripuit, ex desiderio sanctitatis incipiendo. Et hic est ille somnus hodiernus tempestatis causa: nam, juxta Bedam, dormit Dominus, cum negligentius agimus. Si, ut ait D. Cyrillus, non erat possibile perire existente cum eis omnipotente, ego Dominum in Venerabili sumendo hac malacia perire non potero fervens. Si corpus Domini fuit cervical divinitatis, juxta D. Hieron. offeram cor meum in cervical Domino.

MEDITATIO XXXVI.

Feria 2. Dominica 4. Epiph.  
De nimio fervore.

Vide.



**V**idebo alterum scopulum, fervorem nimium naufragia excitantem. Petam intelligere ejus causas, & evitare.

*Conf. 1.* Alterum periculum navigantium viam purgativam esse nimium fervorem, cujus causa triplex esse solet. 1. nascitur fervor nimius ex amore sui, quo quis præteritorum peccatorum foeditatem agnoscens, à pœnis pro illis debitis se quàm citissimè desiderat expedire. Hoc morbo laborantes meminerint, quidquid obtulerint **DEO**, sale condiendum esse.

*Conf. 2.* Alteram causam nimij fervoris oriri ex timore Purgatorij, pro quo longo vult per breves temporales pœnas satisfacere. Hic nôsse oportet, pœnas non immoderatâ corporis afflictione, sed prudenti sui oblatione ex gratiâ majori ex parte solvendas esse.

*Conf. 3.* Tertiam causam fervoris nimij esse fiduciam de suis viribus, & non in adjutorio Dei, quibus solis se patat perfectionis arcem obtinere posse. Hic sciendum, non in fortitudine equi, aut tibijs viri arcem perfectionis conscendendam esse, sed timore potius, & amore Domini.

**MEDITATIO XXXVII.**

Feria 3. Dom. 4. Epiph.

*De memoria seculi, & antiquæ vitæ.*

Vide.